BONONIEN. MANUTEN.

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Principi

DOMINO

D. CARD. JACOBO BONCOMPAGNO

Bononiæ Archiepiſcopo, & S. R. I.
Principi Meritiſſimo

PRÒ

Parocho Divi Mamantis

CÙM

Aliquot ex Confratribus Societatis
S. MARIÆ dę Libertate.

JURIS. RESPONSIO.

Eminentissime, ac Reverendissime Princeps.

DE Mense Aprilis proximè præteriti à majori parte Confratrum SS. Mamantis, & Vitalis, vulgò nuncupat *S. Mariæ de Libertate*, supplex Libellus Eminentiæ Vestræ porrectus est, ut Jurgia quædam, & Scandala, quæ multis ab hinc annis in dicta Confraternitate irrepserant componeret, & prò hujusmodi effectu in eorum Patrem Spiritualem [ut moris est] assignaret modernum Rev. Parochum S. Mamantis eidem injuncto, ut malis hisce, qua fieri posset providentia, & sollicitudine occurreret. Annuente Eminentia Vestra factum est, ut prima die Maji anni currentis Excellentissimus, & Admodum Rev. Parochus ad Oratorium d. Confraternitatis accederet, in eoque muneris sui possessionem, Confratribus omnibus acquiescentibus caperet, à quibus etiam in primo Tabellæ loco Nomen ejus ipso penitùs inscio scriptum est. Factum est etiam, ut ad eorum Congregationes per Schedulas, quæ Confratribus de more obveniunt, subsequenter adscitus fuerit, in quarum altera, quæ habita est, die 24. Junii proximè præteriti occasione Partiti inter ipsos positi nemine discrepante Suffragium tulit. Hanc prout jacet facti seriem, ne de ea dubitari contingat usque de mense Septembris elapsi decem ex eadem Confraternitate Eminentissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo in altero Libello, eorum respectivè nominibus subscripto, exposuerunt; nimisque mirati sunt, ut qui supplex eidem Eminentissimo Libellus Typis editus est, totius Confraternitatis Nomine fuerit publicatus.

Hoc supposito facto, cùm Rev. Parochus Jura sibi acquisita cedere non debeat, per tradita à *Barbos. in l. quia tale* 14. *num.* 22., *& in l. post dotem* 41. *nu.* 57. *ff. solut. mat.*, *Carleval. de jud. lib.* 1. *tit.* 3. *disp.* 20. *nu.* 2. *l. ex pluribus* 42. *ff. de administrat. tut.*, ubi habetur Jura ad hęredes non transmissibilia cedi non debere, Jura autem de quibus in præsenti Rev. Parochus ad Hęredes suos transmittere non potest, propterea Eminentiam Vestram prò eorum Manutentione deprecatur, ne ejus dignitati Parochiali aliquod præjudicium inferatur.

Non obstantibus fundamentis in Libello sufficienter diffuso inani cum labore ab Scribente prò Confraternitate adductis, Rev. Parochum bonum fovere jus existimo. Motiva, quæ in favorem Societatis allegantur ad sequentia reducuntur. Quemadmodum Capitulum Cathedralium facultate libera se Congregandi gaudet, ità & Confraternitas. Munus Patris Spiritualis inter munera Parochialia non connumeratur, undè invitis Confratribus in Functionibus Spiritualibus exercendis Parochus se ingerere non poterit. Cum munere Parochiali munus Patris Spiritualis est incompatibile, in nullaque

parte Juris prædictum munus Parocho conceditur. Confraternitates possunt sibi Patrem Spiritualem eligere, & prò eorum libitu eum removere. In Synodo nostra aliqua Jura non autem illud Patris Spiritualis suprà Confraternitates Parocho conceduntur, igitur preter ibi concessa nihil aliud ipsi competit. Confraternitas Sanctæ Marie de Libertate frui debet omnibus illis privilegiis, que SS. Trinitatis Societati anteà competebant, cum ad Oratorium, in quo ista existebat, de qua in presenti sit translata. Per Statuta particularia Confraternitatis Parochus jure Patris Spiritualis privatus manet, siquidem diversis in eorum Capitulis nulla Parochi mentio fit, sed tantum Prioris, Conservatoris, & aliorum Officialium, quibus in Congregationibus conceditur primus locus, qui secundùm Juris dispositionem Parocho intervenienti competit.

Hæc motiva parùi crederem habenda esse, cum illorum plura extrà propositum, & alia gratis dicta veniant.

Rev. Parochus in Bonorum Confraternitatis Administratione cum Confratribus Collegam esse nunquam cogitavit. Scit ille Bona Societatis mediante Officialium Persona à Confratribus administranda esse, hacque facultate privari non posse nisi introitus dissipent *Monacell. form. leg. tit. 6. nu. 16.*, Eminentiam verò Vestram jam eorum malæ Administrationis conscium fecit. Boni autem Confraternitatis Regiminis Rev. Parochus desiderio motus, utquè Eminentiæ Vestræ Preceptis ipsum non obtemperasse, dici aliquandò non possit, & ne que in Domo Dei audita sunt rixe, dissensiones, & scandala deinceps audiantur, tanquam bonus Pastor, & Subditus omnibus Confraternitatis Congregationibus interesse desiderat. Fuit ab Eminentia Vestra [prò sui muneris pastoralis adimplemento] Confraternitati prohibita Congregatio Capitularis absque expressa licentia Eminentiæ Vestræ, ex causis, & rationibus notis, hocque Præcepto parvi penso adhùc Confraternitas se liberè congregare contumacitèr, & obstinatè presumit.

Ignominiosum esse mihi videtur hanc facultatem Confraternitati tribuere, adstante Precepto superiùs allato, siquidem vel de Eminentiæ Vestræ auctoritate dubitatur, vel eam diminuere presumitur. Eminentiam Vestram justa, & legitima causa adstante Congregationem Capitularem Confraternitati inhibere posse sine Interventu sui Delegati fuit decisum *à Sac. Congregat. Conc. in Mediolanen.* 27. *Januarii* 1587., *à Sac. Congreg. Episc. in Castellanaten.* 14. *Novembris* 1603., *& in Neritonen.* 29. *Novembris* 1609., *latequè Pignatell. tom. 9. consult.* 128., quin in contrarium faciat *Monacel. form. leg. tit. 6. form.* 11. *num.* 18., *& seq.* Primò quia sibimetipsi contradicit, si attentè considerentur ab eo tradita *num.* 16. Secundò quià nulla ab eo assignatur ratio, quæ alicujus momenti considerari debeat. Auctoritatem verò Eminentiæ Vestræ diminuere sub pœna Excommunicationis in *Bulla Cenæ Domini* prohibitum habemus.

Nomina Sacerdotis, Capellani, seu Patris Spiritualis Confraternitatum ità synonima esse, ut semper in eodem subjecto sint verificanda, non credo. Dictio *Seù* non semper est copulativa, & augmentativa, nàm aliquandò est alternativa, *Rot. rec. part.* 14. *decis.* 331. *num.* 9. In præsenti autem alter-

nati-

ad omnia Parocho D. Mamantis subjectam esse, seu ab eo dependentiam habere. Si autem ejus Translationem inspiciamus, Observantia, quæ est optima Interpres, & Regula, *De Luc. de jurisd. disc.* 35. *num.* 65., nos docebit hoc munus, seu Officium in Parocho Divi Mamantis radicatum esse; Praxis enim istius Confraternitatis talis fuit, ut Eminentiam Vestram non latebit.

Quantum ad Suffragium non ignoro, hoc ex Jure Rev. Parocho non competere in Congregationibus Confratrum, per tradita à *Monacell. formul. leg. tit.* 6. *form.* 11. *num.* 23., attamen Rev. Parochus fultus Doctrina *Gomez. ad leg. Taur. num.* 30., nempè Jus quęsitum parte invita tolli non posse, & Decisione *l.* 11. *de reg. Jur.*, scilicet quod nostrum est absque facto nostro Nobis auferri non posse, Eminen. Vestram deprǣcatur prò Manutentione in Suffragio præstando. A Confraternitate fuit ipsi data, & concessa prædicta facultas, prout ex dictis in facto constat, ex qua concessione Rev. Parocho Jus venit firmatum, & quæsitum: Patronus non Patronum ad pręsentandum admittens illum in quasi possessione pręsentandi talitèr constituit, ut à Patrono hoc Jure privari non possit, *De Luc. de jur. pat. disc.* 63. *num.* 2. Igitur quamvis Rev. Parochus nullum Jus ad Suffragium præstandum in Congregationibus Confraternitatis haberet, hoc ipso, quod à Confratribus ei sit concessa talis facultas, Jus Manutentionis ei competit, aliàs præjudicium ei habenti Jus formatum, & quæsitum inferretur per tradita à *De Luca controv. Bosc. art.* 2. *num.* 148., estque tàm privilegiatum Jus Manutentionis, ut unus actus prò eo sufficiat, *Oldrad. cons.* 312., *Abb. cons.* 54. *lib.* 1., *Federic. cons.* 234., *Gratian. discept. for. cap.* 113. *quasi per totum*; Attamen si aliqui Confratres negaverint à Confraternitate Jus Suffragii Rev. Parocho præstitum fuisse nihil interest, nam præterquamquòd verum non dicent, alii ex Confraternitate de hoc Eminen. Vestram cerciorem reddiderunt; In Judicioque Manutentionis unicus Testis, dummodò majoris exceptionis sit sufficit, *Surd. cons.* 73. *num.* 39., *Gratian. discept. for. cap.* 950., *Benintend. decis.* 61. *nu.* 14., *Cavaler. decis.* 44. *nu.* 3.

Ad aliud Juris punctum deveniendo, nempè an Confraternitas Functiones Solemnes absque Rev. Parochi licentia exercere possit? Discrimen facio inter Functiones mærè Parochiales, & inter Functiones non mærè Parochiales, attamen Parocho competentes, & asserendum puto, nullam ex his Confraternitati inscio Parocho competere. De primis dubitandum non est, nàm Parochus quoad Jura Parochialia exercenda intrà limites suæ Parochiæ privativè Juris assistentiam habet, *Rot. rec. part.* 11. *decis.* 348. *num.* 1., ubi plures *Text.* Auctores, & *Dec.* videri possunt, & talitèr Jus ei assistit, ut nullus Locus, vel Persona exempta maneat, *Rot. rec. part.* 12. *decis.* 124. *num.* 7., qua de causa Confraternitas Sepulturæ Officium in Oratorio facere nequit per Capellanum ipsiusmet Oratorii, *Rot. rec. part.* 5. *decis.* 552. *num.* 30.

Crucem autem erigere in Vià Confraternitas non potest, nàm hoc ad Parochos privativè attinet, non ad Confraternitates Laicas, *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 34.: Delatio enim Crucis cum Signum sit Jurisdictionis

Ma-

Majoritatis, Præeminentiæ, & Superioritatis, ut tradunt *Bonacin. de contr. disp. 3. quæst. 21. punct. 5., Abb. in cap. 1., ut lite penden., Ventrigl. de Archiepisc. jurisd. cap. 17., & 18., Pignatell. tom. 8. consult. 73. nu. 16.*, Confraternitatibus est prohibita sine licentia, & consensu Parochi, non obstante quacumque Consuetudine, seù Præscriptione etiam immemorabili ex *Dec. Sac. Congregat. Rit. ab Urbano VIII. confirmat.*, quam refert *Pignatell. eod. loco nu.* 117., ubi asserit, tantummodò Privilegia Apostolica quoad hoc attendenda esse. Dubio an Confraternitas possit Crucem erigere in Via, negativè responsum fuit per multas Sacræ Congregationis Declarationes, prout videri potest apud *Pignatell. tom.* 8. *eodem consult. nu.* 129. Et principaliter in Funeribus hoc ipsis esse prohibitum asserit idem eodem *nu.* 40., ubi ità argumentatur: Si Delatio Crucis in Funeribus non esset Jus merè Parochiale, non tot Summorum Pontificum, & Conciliorum Constitutiones, ac Decreta prò Regularibus super eadem sancita, ac publicata fuissent, aliàs Privilegium esset inutile, cum nihil operaretur in eorum favorem *cap. in his de privil.* A quo autem Confraternitas nostra Privilegium incedendi cum Cruce per Viam obtinuit? Inscio Parocho prohibitum, non autem concessum hoc invenio *cap. in his qui de Sepul. in 6. Sac. Congregat. in Andriensi* 22. *Novembris* 1631.: Undè si Crucem erigere vult, Privilegium demonstret, aliter cum ea incedere nequit, *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 9.

Similiter Stolæ delationem Capellanis Confraternitatum prohibitam esse invenio in Synodo nostra *lib.* 4. *cap.* 5. *de Confrat.* §. *Processiones*; tantummodò illam Parochus deferre potest, *Sac. Rit. Congreg. in Nucenna* 24. *Octobris* 1609.: Benedictionem autem cum Sacramento Eucharistiæ Populo dare non Confraternitatum Capellanis, sed Parocho privativè competit, *Sacr. Congr. Conc. in Ferrarien. jur. Paroch.* 21. *Martii* 1698.

De aliis autem Functionibus, quæ hodiè prò mere Parochialibus non habentur, idem crederem in nostro casu asserendum esse, ac de primis, nam hoc ipso, quod istæ sint solemnes ad Parochum taliter earum exercitium spectat, ut eo invito Confraternitatibus sit prohibitum, *Sac. Congr. Conc. in Lunen. Sarzanen.* 27. *Julii* 1697., *& in Ferrarien.* 21. *Martii* 1698. Sique Parochus eas facere voluerit, licentiam concedere non cogitur, *eedem Sac. Congr.*, & hoc non absque ratione, & fundamento, nàm prò talibus Functionibus seclusa legitima consuetudine, vel Privilegio Ecclesia Parochialis habet intentionem in Jure fundatam, ut latè *Pignatell. tom. 6. consult. 68. nu.* 1., cum multis diversorum Conr. allegationibus, *Rot. decis.* 1020. *cor. Seraph. Sac. Rit. Congr. in Neapolitana* 18. *Maji* 1602.: Undè Confraternitates in suo Oratorio solemniter Missam celebrare per suos Capellanos facere nequeunt, *Barbos. in collect. Appost.* 207. *nu.* 17., *& in collect. Bull. verbo Confraternitas, & de jur. Eccles. cap.* 11. *num.* 105. Nam facultas exercendi Functiones solemnes Spirituales ipsis prohibita est, *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 107. *Sacr. Rit. Congr. in Neapolitana* 18. *Maji* 1602., quæ ita declaravit: *Sacra &c. censuit ad Parochum pertinere Functiones Sacerdotales in Ecclesiis, quæ sub laicorum sunt gubernio, non ad Capellanos,*

nem-

nativam, & non copulativam esse Praxis Confraternitatum nos docet; Istæ Capellanum, & Patrem Spiritualem habent, itàque fuit observatum à nostra Societate, quę ab immemorabili Parochum D. Mamantis in Patrem Spiritualem habuit, alium verò Sacerdotem in Capellanum.

Admodum Rev. Parochus in munere Patris Spiritualis Confraternitatis manuteneri duplici ratione prætendit. Primò nam ab immemorabili RR. Parochi D. Mamantis immediatè ac Munus Parochiale prædictæ Ecclesiæ obtinuerunt, absque aliqua Confraternitatis electione, Patris Spiritualis Confraternitatis Officium sunt adepti, utque Eminentia Vestra istius immemorabilitatis cercioretur, sufficit dicere usque de anno 1631. qui fuit primus ejus Translationis, jam Parochum D. Mamantis Munus Patris Spiritualis exercuisse, proùt in Libris ipsiusmet Confraternitatis videri potest. Quæ Observantia quamvis defficeret, nihil interest, nàm Parochus confidit Eminentiæ Vestræ, nullum injustè Jure acquisito privaturum. Mense Aprilis proximè præteriti in Patrem Spiritualem fuit electus Rev. Parochus, proùt Eminentiæ Vestrę annuenti supplicationi majoris Partis Confraternitatis notum est, primaq; die Maji, ut in facto dictum manet, ipso inscio, in Tabella tanquàm Pater Spiritualis fuit appositus, nullo Confratre contradicente, immò potiùs omnibus unanimitèr gratias Altissimo gerentibus. Undè non intelligo quo Jure Confraternitas, inscio Eminentia Vestra illum tali munere privare intendat.

Concessa Confraternitati facultate Patrem Spiritualem eligendi, non ex hoc infertur & facultatem destituendi privativè ei competere. Debet Confraternitas Patrem Spiritualem eligere interveniente Auctoritate Eminentiæ Vestræ prædictam electionem confirmante, & corroborante, *Synod. lib. 4. cap. 5. de Confrat. §. Frequentiùs*; Undè clarè apparet Confraternitatem Auctoritate propria deponere Patrem Spiritualem non posse. Cujus est actus (juxta Juris reg.) & est distractus, huicque Principio aliud addi potest, nempè Illius est deponere, cujus est instituere *cap. conquerente de Off. Ord.* Hoc fundamento ductus crederem, Eminentiæ Vestræ Auctoritatem offendi, & diminui, dum Scribens prò Confraternitate, ei totalem independentiam ab Ordinario, quoad Destitutionem tribuit; Hoc enim à Jure abborret, proùt in simili casu declaravit, *Rot. decis.* 35. *num.* 90. *cor. Peutinger.* Eodem Argumento utitur *Monacell. form. leg. tit.* 10. *num.* 17. *fol. mihi* 215., ad probandum Communitatem, seù Universitatem Laicorum inscio Episcopo, non posse Parochum à Cura destituere, seù amovere, quamvis Jus eligendi de nutu ad mobile illæ habeant. *Gratian. dis.* 167. *&* 590., & in terminis precisis nostri casus *De Luca de Benef. disc.* 80. *nu.* 21., ubi asserit hoc impossibile, ac in Jure prorsùs contradictorium esse, non solùm ex regula generali, quod unumquodque solvendum est cum eo Vinculo, cum quo colligatum fuit, sed fortiùs, quià difficiliùs conceditur facultas destituendi, quam instituendi, & ab una ad alteram non tenet Argumentum; Undè Rev. Parochus prò Manutentione in predicto munere Eminentiam Vestram deprecatur, cum nullam causam ad Destitutionem dederit, & per Confirmationem Jus Manutentionis acquisiverit, De

 Luca

Luca de regul. disc. 13. Debet Confraternitas in removendo suum Patrem Spiritualem omnimodam dependentiam ab Eminentia Vestra cognoscere, proût cognoscit in eligendo per indigentiam Confirmationis; subjectio autem, & Dependentia ex necessitate Confirmationis inducitur, & probatur per tradita à *De Luc. de Jurisd. dis.* 28. *num.* 10.

Asserere poteram, Munus Patris Spiritualis, seclusa Consuetudine, vel Privilegio in Confraternitatum erectione, sive posteà Confratribus concesso, inter Jura Parochialia connumerari. Quale potest esse Patris Spiritualis Officium? Nisi Confraternitates Spiritualiter dirigere, nunc cum Verbi Divini Prædicatione, nunc cum Sacramentorum Administratione, nunc eis dies Festos, Vigilias, Jubilea, & Indulgentias denunciando, ut illa observando, & ad ista acquirenda se preparando Vitam Æternam consequantur? Hæc autem omnia inter Munera Parochialia connumerantur. De Verbi Divini Predicatione constat in *Conc. Trid. cap.* 2. *sess.* 5. *de Ref.* De Indulgentiarum publicatione habemus determinatum à *Sacra Congr. Episc. in Firmana* 3. *Julii* 1615., ibi in responsione ad Octanum, secluso Privilegio, absque ejus licentia à nemine publicari valent. De aliis verò habetur apud *Schmalzgrueber de Paroch.* §. 20. *diversis in numeris*. Hoc autem dico ad demonstrandum verum non esse, asserere munus P. Spiritualis inter Munera Parochialia secluso privilegio non connumerari, nullo enim quoad hoc Confraternitas nostra Privilegio gaudet. Privilegium nominandi Patrem Spiritualem quamvis Confraternitati aliquo titulo ei competeret, per non usum illud amisit, nàm cùm in faciendo consistat, nempè in nominando, & Privilegium in faciendo consistens per non usum amittatur, *Rebuf. in Praxi Benef. part.* 1. *tit. de diff. inter Privil.*, & *rescript.*, *Seraphin. decis.* 143. *num.* 3., indè erit facultatem eligendi Patrem Spiritualem Confraternitati denegandam esse, cum à principio suæ Erectionis RR. Parochi D. Mamantis, absque aliqua electione illud sint adepti, & quamvis Confraternitas S. Mariæ de Libertate tanquàm Ecclesiastica consideretur, quod verum non est, adhùc prò Privilegii amissione standum erit, nàm Ecclesiæ concessum per non usum triginta annorum amittitur, latissimè *Gonzal. in Coment. cap.* 6., *Decretal. de privil.*, munus enim P. Spiritualis Parocho de Jure competere sequenti consideratione clariùs patefiet.

Si enim Confraternitatis erectionem inspicimus cum in Ecclesia Parochiali Divi Mamantis principium habuerit anno 1604., affirmare tenemur, facultate nominandi Patrem Spiritualem Confraternitatem non gaudere juxta *Decreta Sac. Congreg. Rit. anni* 1704. Primò dubio, nempè an Confraternitates Laicorum legitimè erectæ in Ecclesiis Parochialibus habeant dependentiam à Parocho in explendis Functionibus non Parochialibus: Sac. Congregatio affirmativè. Secundò scilicet, an dictæ Confraternitates erectæ in Capellis, seu Oratoriis tàm publicis, quàm privatis annexis Ecclesiis Parochialibus, & ab eis dependentibus habeant dictam Dependentiam à Parocho quoad dictas Functiones: *Sac. Congregat. affirmativè*; Undè colligitur Confraternitatem nostram inspecta ejus Erectione tàm quoad Functiones Parochiales, quàm quoad non Parochiales, & ut omnia uno complectar verbo quoad

nempè benedictiones Cinerum, Candelarum, Ramorum Olivæ, Ovorum, Aspersiones Domorum, & similes &c., & *Cæsaraugust.* 14. *Januarii* 1612. ex quibus evidenter cognoscitur Confraternitatem Sanctæ Mariæ de Libertate sine licentia Rev. Parochi Divi Mamantis nullam solemnem Functionem exercere posse. Et principaliter cum prò eo stet observantia; Si enim aliquando functionem solemnem Confraternitas per suum Capellanum exercuit, cum Rev. Parochi consensu, & non aliter fecit, & ex hoc Jus Parochi non fuit læsum, immò potiùs confirmatum, nam Parochus, exercendi jus sibi competens facultatem concedens sibi non præjudicat, immò potiùs magìs Jus suum corroborat, *Rot. rec. part.* 12. *decis.* 124. *num.* 4. Jus enim in concedente, non in exequente cognoscitur, *Rot. eòdem num.* 6.

Secluso privilegio non habent Confraternitates Laicorum nisi solùm Ecclesiæ usum cum rerum temporalium Æconomia, *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 140., neque in præjudicium Jurium Parochialium errectæ intelliguntur, Sacr. Congreg. Episc. ità rescripsit Episcopo Cajetano anno 1631. debent istæ Parochum suum Superiorem cognoscere, & in eo agnoscere facultatem celebrandi, & functiones solemnes exercendi quacumque in tempore, & hora etiam cumulativè cum sodalibus.

Fundamenta prò Confraternitate allata dictis non obstant. Non prætendit Rev. Parochus de jure sibi competere omnibus in Congregationibus Capitularibus interesse, sed tantummodò ratione possessionis, vel quasi per electionem acquisitæ.

Ad secundum fundamentum superiùs responsum manet in allatis ad probandum Munus Patris Spiritualis secluso Privilegio, seu Consuetudine intrà Munera Parochialia connumerari. Undè non gaudente Confraternitate nostra tali Privilegio per jam tradita, invito Parocho Functiones solemnes exercere non poterit. In Synodo tantummodò facultas expiandi Conscientiam, & Sacram Eucharistiam in suo Oratorio accipiendi, Confraternitati conceditur, quod quidem privatim, & non solemniter faciendum credo. His enim piis Actibus Rev. Parochus non se opponit, immò potiùs tamquam bonus Pastor totis suis viribus ipsos commendat. Doctrina autem tradita à *Fargna ad Sing. Can. de Jur. Patr. part.* 1. *Can.* 4. *cas.* 9. *num.* 4., & *decis.* ab eo allatæ nostro casui non sunt applicabiles. Ibi agitur de Ecclesiis Juris Patronatus, seù Rectoriam in titulum habentibus, ab hisque ad Confraternitatum Oratoria non benè fit ilatio, nam multis Privilegiis illæ gaudent, quibus non ista. Ecclesiæ Juris Patronatus sunt totaliter exemptæ *Fargna de Jur. Patr. part.* 2. *Can.* 14. *Cas.* 10. *n.* 3., & 8. In Ecclesiis verò Rectoriam in titulum habentibus non possunt pacem populo dare, aliasque functiones exercere, ut habetur in *Forolivien. Jur. Paroch.*, quæ quidem Privilegia Confraternitatum Oratoriis non competunt. *Rota autem in Neapolit. Jur. Paroch.* 13. *Martii* 1711. loquitur de regularibus qui Majoribus Privilegiis fruuntur, quam Confraternitates, *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *nu.* 59., undè neque ista erit applicabilis. Quod asserit *De Luc. de Par. disc.* 30. *nu.* 4., est omnimodò extrà propositum ibi dicitur. Inscio, & etiàm

con-

contradicente Parocho Fidelibus licitum esse plures Sacerdotes, & Confraternitates salvis Juribus Parochialibus ad funera invitare cum in Jure contrarium sancitum non inveniatur. Quid autem ex hoc infertur contrarium prætensioni Rev. Parochi Divi Mamantis.

Diffusè allegatis in §.*Fortiùs*, ab Scribente prò Confraternitate dicendum puto omnia extrà propositum dicta. Non prætendit R. Parochus Missas privatas in Oratorio Confraternitatis celebrari non posse, neq; verbum divinum etiam assentiente Ordinario Fidelibus exponendum non esse. Gratis in prædicto §. dicitur à Confratribus Diaconum, & Subdiaconum prò Missis celebrandis eligendos esse omninò independenter à Parocho; ab Scribente allegata procedunt in terminis Ecclesiarum Juris Patronatus, aut Rectoriam in titulum habentium, non autem Confraternitatum, undè inapplicabilitas clarè cognoscitur.

Quantum ad facultatem faciendi Processiones intra ambitum Oratorii nihil dicendum venit, cum nullum Confraternitatis, quoad hoc sit Institutum, sivè Statutum. Festivitatum autem in Hæbdomada occurrentium denunciatio nunquam in Oratorio nostræ Confraternitatis viguit, seù ab aliquo fuit audita.

Incompatibilitas muneris P. Spiritualis cum Munere Parochiali provenit ex Æquivocatione facta Nominum Sacerdotis, Capellani, & P. Spiritualis. Si ista Nomina essent taliter Synonimá, ut semper prò eodem acciperentur, ego etiam incompatibilitati annuerem, attamen cum Confraternitatum Praxis contrarium nos doceat, & incompatibilitas destructa manet; præterquamquod quemadmodum per Antecessores Rev. Parochi Divi Mamantis munus Patris Spiritualis nulla incompatbilitate cum munere Parochiali cognita, laudabiliter fuit adimpletum, ità etiàm crederem, & per modernum Parochum adimpleri posse. Male [quod absit] dicam, dignissimos Eminentiæ Vestræ Antecessores, nec non Eminentian Vestram Confratribus Sanctæ Mariæ de Libertate coràm eis suas preces interponentibus pro confirmatione Rev. Parochi Divi Mamantis in suum Patrem Spiritualem malè inquam annuisse, si munus Patris Spiritualis incompatibile est cum munere Parochiali.

Ad tertium verò Confratribus gratis Concessa plena, & omnimoda facultate eligendi P. Spiritualem, eis denegatur facultas destitutionis per superiùs dicta, non obstante doctrina *Pignat. to. 8. consult. 73. n. 60.*, & *Burat. dec.* 484.; loquuntur isti de Capellanis, qui nulla indigent Confirmatione Ordinarii. Ipse prò Confraternitate Scribens fatetur reluctantibus Confratribus, nullaque Causa adstante non pose Ordinarium Patrem Spiritualem Confraternitatum amovere, quia unumquodque eo modo, quo colligatum est, & dissolvi debet, igitur nec Confraternitas inscio Eminentia Vestra Rev. Parochum Divi Mamantis munere Patris Spiritualis privare poterit. Electio Patris Spiritualis Confraternitatum aliquando Ordinario competit nempè Confratribus post tertium Scrutinium non concordantibus, *Sac. Congregat. Conc. in Senogalien.* 4. *Junii* 1701., & tamen isti reluctantibus Confratribus, nullaque legitima causa adstante destituendi facultas non competit, igitur neque illis inscio Ordinario.

Vel-

Vellem Scribentem prò Confraternitate non tam facilè allegationes adducere; si *Pignatell. tom.* 8. *consult.* 73. *num.* 62. legisset, non allegaret *decis.* 2089. *coram Coccin.* ad probandum absolutè Parocho exceptis Juribus Parochialibus nihil competere in Capellis, seù Oratoriis Confraternitatum intrà limites suæ Parochiæ sitis, citatus *Pignatell.* ità loquitur: *Et quidem hic murus Æneus ille, sed qui jacta spicula retorquet; Auditis deindè Parochis, ac proposita causa diù multumque tertiò, ac quartò discussa eadem Sacra Congregatio declaravit Parochos fovere bonum jus*, & ideò tàm decisio, quàm decreta, quæ in ea allegantur prò Confraternitatibus non merentur allegari, cum censeantur tamquam si non emanassent.

Ad quartum nihil in Synodo nostra Rev. Parochi prætensionibus contrarium Confraternitati conceditur. Ad tria ab isto prætensa reducuntur, nempè ut nulla functio solemnis absque ejus licentia à Confraternitate exerceatur. Secundò ut inscio Eminentia Vestra munere Patris Spiritualis per Confirmationem acquisito privandus non sit. Tertiò Suffragium in Congregationibus Capitularibus Confraternitatis per Confratres ipsi concessum imposterum non denegari. Legatur Synodus, & citetur Locus his prætensionibus contrarius. Certum est omnia hæc ex Synodo Rev. Parocho non competere, attamen ex hoc non infertur Synodum contrariari.

Ad quintum si Confraternitas nostra Privilegiis Societatis Sanctissimæ Trinitatis gaudere intendit, onus probandi illius privilegia fuisse localia, & non personalia ei incumbit, nam Personalia ad alios non transeunt, *De Luca de jur. pat. dis.* 2. *num.* 3., aliàs ei talia Privilegia non competunt.

Ad Sextum non invenio Confraternitatis Statutum, per quod Rev. Parochus munere Patris Spiritualis ejusdem Confraternitatis privatus maneat. Isto enim adstante dicendum esset, Eminentiam Vestram, & suos Prædecessores inconsideratè Parochos Divi Mamantis in Patres Spirituales ejusdem Confraternitatis confirmasse. Gratis autem concesso, tale Statutum adesse, adhùc crederem R. Parochum prædicto munere privari non posse non solùm propter Jus acquisitum ex confirmatione Eminentiæ Vestræ, verùm etiàm ratione immemorabilis, quæ prò R. Parocho adest, & ad eam probandam paratus est, quin obstet factum anni 1633. à Scribente prò Confraternitate adductum, cum ex his, quæ vidi libenter suppositum veniat.

Ex eo autem, quod Rev. Parocho in Congregationibus Capitularibus Confraternitatis locus non assignetur, inferri non potest, ipsum eis interesse non posse, tantùm enim probat hoc argumentum, quod nihil probat. Si per hoc, quod Locus Parocho non assigneur (ad evitandum Juris absurdum, scilicet Parochum Priori, & Officialbus postponi non posse) interventus in Congregationibus Capitularibus ei maneret denegatus, in nulla Confraternitatis Congregatione Capitulari intervenire deberet, quod quidem est omnimodò contrarium Nostræ Synodo *lib.* 4. *de Confrat.* §. *Innoventur*, ubi Parocho non tantùm conceditur facultas interveniendi in electione Officialium, verùm etiam in Congregationibus, in quibus Rationes bonorum Confraternitatis reddi debent. Ideò in Statutis Locus non assignatur, nam de eo, quod certum est, regula pro superflua habetur; Cum autem Parochus

chus regulam Juris suas Oves præcedendi prò se habeat, habet etiàm prò se fundatam intentionem Statuta condentis; Undè quemadmodum Antecessores Rev. Parochi primum locum omnibus in Congregationibus obtinuerunt, præeminentiamque in ipsis Confratres agnoverunt, ità crederem cum moderno Parocho procedendum esse.

Propter dicta, & majorem Animarum Confratrum utilitatem magnopere mihi expedire videtur, Rev. Parochum suis in Juribus acquisitis, manutenendum esse; Ità etiàm observabitur quod in Synodo nostra Confraternitatibus præcipitur §. *Insuper de Confrat.*, illius præsentia sperandum erit, Jurgia in Confraternitate multis ab hinc annis accidere solita, prout Eminentiæ Vestræ notum est, sedanda esse, contumaciamque Confratrum in Eminentiam Vestram, in obedientiam convertendam esse.

Quapropter &c., salvo semper &c.

D. Alfonsus Garrido J.C.D. hujus Un. P. L., et S. Clem. Coll.

Vidit Don Paulus Carminatus Cleric. Regul. Congreg. Sancti Pauli, & in Metropolitana Bononiæ Peniten. prò Eminentissimo, & Reverendissimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Archiepiscopo, & Sac. Rom. Imp. Principe.

Die 6. Novembris 1723.

Imprimatur

Fr. Petrus Antonius Bagioni Vic. Gen. S. Officii Bononiæ.

BONONIÆ, M.DCC.XXIII.

Typis Jo. Baptistæ Bianchi ad Vexillum Rosæ prope Studium.
Superiorum permissu.